



MANAHEN filius Gadi de Therfa, venit in Samariam, & interfecit Sellum, qui mensem vnum imperauerat, postquam occiderat Zachariam Regem Israel. Itaque qui tyrannide imperium Israelitarum inuaserat, à tyranno quoque intra mensem oppresus est. Manahen igitur tyrannus, qui tyrannum interemit, regnum Israel occupauit anno mundi 3162. ante Christum natum annis 800. Secutus est hic impietatem Ieroboam filij Nabat. Thapsam ciuitatem quæ nolebat eum intrò admittere, vsque adeò persecutus est, vt prægnantes quoque eius vrbis scinderet. Posthæc Phul Assyriorum Rex Thersam obsedit: Manahen mille ei talèta argenti dedit. 4. Reg. 15. cap. imperauit annos decem. Iose. lib. Antiq. 9. cap. 11.

PHACEA filius Manahen regnauit super Israel in Samaria anno 50. Azariæ siue Oziæ regis Iudæ, qui erat annus mundi 3173. ante Christum natum 789. Hic quoque impiè egit, secutus vestigia Ieroboam filij Nabat. coniurauit aduersus eum Phacea filius Romeliæ dux eius, & percussit eum in Samaria, in turre domus regiæ, & cum eo 50. viros de filiis Galaaditarum, regnauitque post eum. Consulito li. 4. Reg. cap. 15. item Ioseph. lib. Antiq. 9. cap. 11. imperauit hic annos duos.